6

Sollohub - Radziwill

# SIDUS
# SARMATIÆ
Splendore Familiæ
Et virtutum ornamentis
CONSPICUUM
ILLUSTRISSIMUS EXCELLENTISSIMUS DOMINUS
D. ANTONIUS JOSEPHUS
*COMES in Ila, Iwieniec, Horyhorki*
*URSINUS DOWOYNA*
# SOŁŁOHUB
CAPITANEUS JEZERISCENSIS
In conjunctione cum magno sidere
CELSISSIMA ILLUSTRISSIMA DOMINA D.
BRIGIDA PRINCIPE
# RADIVILLIA
PALATINIDE NOWOGRODENSI
inter publica communis lætitiæ signa
exiguo lumine orationis
AUCTUM
Ab obligatissimo Collegio Academico Vilnensi Societatis JESU
*Annô Domini M. DCC. XL. IV.*

Vilnæ Typis S. R. M. Academiæ Societatis JESU.



# In Avitum Decus
# ILLUSTRISSIMÆ FAMILIÆ URSINORUM DOWOYNARUM SOŁŁOHUBIORUM



I.

Sarmaticæ terræ queruli nè dicite cives:
  Hoſtis habet muros, Lechica Troja ruit.
Excubat ad muros, rabidum LEO fulmen in hoſtem,
  Aggreſſor regni ſtratus ab ungve, ruet.

II.

Anſer Tarpejæ fuerat cuſtodia rupis,
  Cùm, nimiô ſomnô Roma ſepulta fuit.
Felices dormite Lechi. Dant otia ſomnum,
  En ſtat pro vobis pervigil iſte LEO.

III.

Ut LEO, ſic aquilæ ſuperi ſunt ſidera regni,
  Sed certô ſunt hæc *ſidera fixa* locô.
Currunt *errantes ſtellæ* per compita cæli,
  Sed ſtant immotô ſidera fixa pede.
Quæ currunt, feſſæ deſiſtent currere ſtellæ,
  Æternô ſtabunt ſidera veſtra locô.

IV.

Conſvêrunt aquilæ nidis imponere laurum,
  Ne feriant propriam fulmina lapſa domum.
Flammas dicuntur crocei ſpirare leones,
  Horrida terrificis ignibus ora micant.
At nunc fulmineis aquilis, leo jungitur aſper,
  Adverſi Lechis bella timete viri.
En LEO ſuccendit nimias in prælia flammas,
  En aquilæ laurum, pulchraq; ſerta ferunt.

# DEDICATIO.

Cum vaga ſtelligerô junguntur ſidera cælô,
Carmina fatidicus non raró diſſipat augur.
Nunc ait: ô miſeri procul hinc diſcedite cives
Heû arſerê cavô fatalia ſidera cælô,
Horrida belligeris fervebunt prælia campis.
Aut inquit: ſubitam nobis peſtemq; necemq;
Stella canit, variô viſentur funera lectô,
Aſſidui gelido fugient è corpore Manes.
Carmina nonnunquam promit felicia Vates,
Pax, inquit, niveis ſcrutabitur oppida bigis,
Gaudia plena fluent, creſcet ditiſſima meſſis.
Cùm tanta in Lechico junguntur ſidera cælo
Patria præſagum fertur deducere metrum:
Pax erit, & ſplendor. Fæcundos inclita reddet
Et ſanctos Lucina thoros, pulcherrima proles
Vobis naſcetur, multos habitura nepotes.
Illorum multi dicentur fulmina belli
Lumina Sarmatiæ, Lituanæ gloria gentis
Arx fidei, patriæ fulcrum, pupilla Senatûs.
Pars belli, pars pacis erunt. Cum dormiet enſis,
Abdita conſiliis proment oracula certis,
Si torvus mucro feralibus arſerit iris
Tum ferrum ferrô, vim vi depellere noſcent,
Arcebunt rabidum patriis à finibus hoſtem,
Hoc omen certis deduxit patria ſignis,
Nos quoq; præſagum docti contexere carmen
Talia ſincero formamus pectore vota:
Dî tibi ſint faciles, tibi gemmis grandinet æther.
Pax, honor, utilitas, majeſtas, gloria, ſplendor
Famaq; diſcedat veſtro de limine nunquam
Serpant æterno fauſtiſſima tempora paſſu.

Ita canit

Devotiſſimum Beneficentiſſimis Nominibus
Collegium Academicum Vilnenſe
Societatis JESU.

# ORATIO.

REmpublicam, Sarmatiam, imò Europam fermè univerſam liquidiſſimâ lætitiâ perfudit auſpicatiſſimus iſte dies nuptiarum; nos ſanè ex conjunctione tantorum ſiderum certa animi divinatione conjicimus, magna in Europam lumina, magna in Sarmatiam ornamenta, ma-

gnas in Patriam dignitatis acceſſiones profecturas eſſe. Etſi neq; ad dicendas ingentes laudes veſtras parem animi magnitudinem adferre, neq; fortunatiſſimum matrimonium ampliſſimis & maximis verbis ornare poſſimus, tamen, quam lætitiam hoc die ſuſcepimus, eam quibuscunq; argumentis prodere decet. Crimini profectò verteretur, ſi illuſtriſſimas Hymænei veſtri tædas nullo augeremus lumine orationis, nuptiale ſertum nullô argutiarum floſculô, communis lætitiæ triumphum nulla voce plauſu acclamatione.

Quanquam autem exili exangui jejunæq; huic orationi nihil ſplendoris, nihil venuſtatis, nihil gratiæ inſit, vos ſtudioſiſſimam voluntatem, ſingularemq; veſtrî reverentiam magno favore proſequemini, & animi noſtri candorem in hoc atro charactere clariùs lucentem perſpicietis.

Quod enim tam vaſtum ingenii flumen, quæ tanta facultas dicendi & copia, quæ tanta ubertas & vis, quæ non exornare ſed enarrare laudes veſtras poſſit.

Paucis

Paucis itaq; concentum virtutum, & florem ſplendoremq; Familiæ veſtræ, verbis amplectemur.

Ut à venuſtate florum ſuſpenſi contuentium oculi tenentur, ſic à mira ſuavitate concentuum pendent aures, illorum amœnitas, horum ſuavitas, paſcit animum oblectatq;. Priús tamen dabimus aures concentui virtutum, quàm in florem ſplendoremq; familiæ, ora atq; oculos velimus eſſe converſos. Sic in umbroſis nemorum receſſibus priús ſuaviſſimi volucrum cantus perſonant, quàm ſol diſpulſis tenebris, ſua luce perfundit & conveſtit omnia.

Cùm res geſtas fortium virorum & præclara facinora legimus, quô ſtudiô incendimur, ut in eos, quos nunquam vidimus, incredibili amore feramur. Te verò Illuſtriſſime ANTONI, quem præſentem intuemur, cujus vultum oculis obimus, cujus mentem ſenſusq; & os cernimus, quibus præconiis celebrabimus, quibus ſtudiis proſequemur, quâ laude complectemur? Quanto eruditionis apparatu

 para-

paratu tibi caput inſtructum, quantus in corde pietatis ardor, quantum in animo tuo roboris & nervorum, quàm, ſolutum omni timore, fortitudine ſeptum, audaciâ munitum pectus? Ore ſaluberrima conſilia promere, manu hoſtem & bellum propulſare, pedibus & victoriis terras peragrare palam diceris, ferris, celebraris. Vix quisquam floruit, cui famæ odorem quicunq; nævus non corrumperet, at tua virtus nihil è ſummis laudibus decerpi ſinit. His in pretio fuit morum integritas togatis, ſed armatos vitia expugnârunt, ille partam domi gloriam in peregrino ſolo perdidit, alter repertam in Gallia famam in patria corrupit, huic gentes domitæ, arces ereptæ, fines imperii latiùs prolati gloriam pepererunt, ſed maria emenſa, ſed oceanus ſuperatus, ſed æquor transmiſſum nihil laudis adjunxit. Tu domi belliq; probus, in Gallia & Sarmatia integerrimus, terrâ mariq; metuendus.

Arboris cujusdam ſpeciem videris referre Illuſtriſſime ANTONI, ut enim

arbos

arbos, ineunte vere gemmat; adultô, florem explicat; extremô, fructum producit, sic tu viridem ætatem virtute ornâsti & scientiis, adultam militiæ addixisti, præceps tibi ætas, amplissimo meritorum fructu, honoribus ornabitur. Inter primas maximasq; curas tum adolescenti erat pietatis ardor, templorum te decor & sanctitas delectabat, illorum mores exosus es, qui dum studiorum curam fovent, virtutis frigere & neglectam jacere patiuntur. Dilabantur, ajebas, & fluant fortunarum & scientiæ præsidia, dum virtus salva sit. Nec modica scientiarum cupiditate flagrâras, hinc totum te in literis abdere, literis te involvere, etiam ad studia noctis partem assumere. Certò enim tibi constabat literis res secundas ornari, adversas erigi, famam & dignitatem comparari.

Ubi ætas paululùm processit, tædium te cepit inter patrios focos delitescere, pulchra cupiditas tenuit, alias atque alias lustrare terras. Gallia te potissimùm traxit, inter lilia Franciæ versari placuit,

ut odorem virtutum & bonæ famæ colligeres. Vidit tandem Odera, vidit Albis & Rhenus, cum Germaniæ terras pervolares. At quantum gaudii, quantum ſuavitatis, quantum lætitiæ è tuo adventu Gallia accepit? vix illa lux terrarum, illud delubrum ſapientiæ, illud clariſſimi imperii domicilium Lutetia Pariſiorum te aſpexit, mox Verſalii in celeberrima regum Francorum commoratione pedem fixiſti, illic te principes honore, reges gratiâ, aula favore ornavit. Regina inter aulicos ANTONIUM cenſebat togatum, Gallia togam ſago permutare ſuaſit, vi, conſiliis, armis fortiſſimi viri muniri cupîit; ſigna manibus, legiones nutui, militem imperio tuo ſubjecit. Aquilas enimverò Sarmaticas Gallus præferri voluit, ut belli fulmen in hoſtem vibraretur. Ex ea re non pauca Galliæ commoda enata ſunt, nec levia Genuenſibus emolumenta manaverunt, neq; tibi rei feliciſſimè gerendæ occaſio è manibus dilapſa eſt.

Verſabatur in præſenti belli diſcrimine

ne Liguria, (*) Corſica repentè ingenti ſeditione exarſit, ejus incendii fax (ut fertur) Theodorus; ille Januenſes ex inſula exterminare, rebellibus animos addere, ipſe rerum potiri. Verebatur nimiùm Genua, nè fundatum imperium, nè auctas exaggeratasq; fortunas una ſeditio deleret, ſenſit non tantam ſibi vim ineſſe, quæ poſſet conſpirationem perfringere, conjurationem labefactare, inſulam ab inteſtino latrocinio defendere. Hêu, inquit, quô me vertam neſcio? video Corſicam ſubitò unô incendiô concidentem, facibus & telis conjurationum obſeſſa ſum, omnia mihi pænè auxilia præſidia conſilia occiderunt. Quouſque pergent rebelles omnia Divina & humana jura vexare, perturbare, evertere? quouſquè ille dux teterrimæ ſeditionis, illa ſica inter latera noſtra verſabitur? quouſquè illa procella patriæ, turbo ac tempeſtas pacis horrore me perſtringet? Quî diſcordiæ miteſcent? iræ deflagrabunt? furor, quô omnia ardent,

(*) Liguria, vulgò *la Riviera di Genoua*, ſeu Reſp: Genuenſis. *Dźienua* Genua, Janua, idem ſunt.



extin-

extingvetur? Tum Liguria Galliam respexit, flexit genua, ſupplex utramq; manum tetendit. Francia jacenti Reipublicæ regiam fidem porrigit & dexteram, laboranti exercitui ſuppetias decernit, diu conſilium exquirit, queis in Corſicam eundum ſit? qui videlicet è majeſtate Gallici imperii, è dignitate regni, ex honore principis, bellum adornarent, ſuſciperent, ponerent. Tandem è florentiſſimis viris ipſa lumina leguntur; penes unum quidem è principibus Galliarum, ſumma rerum erat, at SOLŁOHUBII ſigna nonnullæ legiones ſequi juſſæ.

Etenim ſic Gallia loqui videbatur. Ligures, ô ANTONI, armis, fidei, felicitati tuæ commendati ſunt; ſeditionis tibi vulnera curanda ſunt, incendium in Corſica reſtinguendum, omnia excitanda ſunt, quæcunq; jacere ſentis, belli impetu perculſa atq; proſtrata! revocanda fides, propaganda ſubjectio, reducendum obſequiũ, quæq; dilapſa fluxerunt, antiquis legibus vincienda ſunt. Circum-

ſpice

ſpice omnes procellas, quæ impendent, maximè ægram & prope depoſitam reipublicæ Januenſis partem ſuſcipe. Vide, nè quid detrimenti Gallia capiat, nèqua Sarmatico nomini labes adſperſa ſit, nè quaſſata reſpublica priſcæ perdat ornamenta dignitatis.

Tantum ſibi Francia de virtute, animo, conſilio Polonici Hectoris pollicebatur, tam tutò copias, ſalutem, resq; ſuas credidit SOŁŁOHUBIO, adeò ſinè metu & cunctatione, acerrimam propugnationem reipublicæ Januenſis commiſit. Nec facilè, profectò, quisquam reperiretur, qui celeriùs, in tantis turbinibus & naufragiis, reipublicæ navim ſalvam in portu collocaret; qui feliciùs Genuenſes de fama, de civitate, de inſula dimicantes in ſinu pacis reponeret; qui fortunatiùs dignitatem Poloniæ, gloriam Galliæ, felicitatem Liguriæ ſervaret, augeret, tueretur.

Submovere hoſtem è finibus patriæ, bellum è ſuo regno propulſare, inimi cum vi, corporibus, opibus depellere,

 pietatis

pietatis in patriam eſt; at exteras regiones metu ac trepidatione ſolvere, flagrantem atroci ſeditione inſulam comprimere, iniquum peregrini regni aggreſſorem exturbare, expellere, ejicere, hoc demum ingentis animi, ſummæq; virtutis eſt.

Nec ſegnius iter & bellum adornâras, ô ANTONI, quàm Gallia ſperavit. Vidit mox Cabilo & Lugdunum (1) intrepidè à te bellum jam propiùs admoveri. Mirabatur te Valentia & Vienna-Allobrogum ſumma celeritate in validiſſimum Galliæ portum Antipolim (2) venire. Illîc, cùm ipſi venti inſuſurrarent, navigandi tempus adeſſe, in altum vela dederas, è conſpectu terræ ablatus ès, tandem in portum, fanumq; Jovis Monæci (3) demum in litora Corſicæ belliſſimè decurriſti. Hîc tibi aut hoſtis frangendus, aut anima profundenda erat. Infida gens, turbulenti populi, projecti ad audendum cives, nil, præter minas, cæ-

(1) Cabilo *Châlon ſur Saone* urbs Galliæ in Burgundia. Lugdunum *Lion*, urbs Gal:
(2) Antipolis *Antibes* præclarus portus Galliæ in Provencia, ad mare Mediterraneum.
(3) *Monaco* Monacum, vel Fanum-Jovis-Monæci urbs portusq; Gallicus in Liguria.

des

des, latrocinia meditati ſunt; reditus tibi aut difficillimis rupibus, aut mari Liguſtico, aut flumine ſangvinis intercluſus*; nec paſſus ſinè dimicatione, nec iter ſinè victoria, urgeri poterat. Ceſſit tamen virtuti audacia, fortitudini temeritas, firmitati furor. Vix adventantem te ſenſit Baſtia urbs frequens, caput inſulæ, arx firmiſſima, mox metu expugnari, portas pandere, ſe ſuaq; omnia tuo arbitrio permittere; ita demum tuo adventu perculſa pars inſulæ ſinè acerrima dimicatione in ditionem Genuenſium cecidit.

Quid, quæſo, tuus gladius in acie Corſicana egit? ſpem ſeditioſis, metum civibus, timorem depulit Gallis; at fractos & propè diſſipatos Genuenſes reſtituit. Ejectus ex inſula ille prædo provinciarum, peſtis regionis, alieni imperii raptor, everſorq; qui plures annos ad dilacerandam rempublicam veſtram, ô Genuenſes, quæſierat; tranquillitati Liguria reddita; leges priſcæ tanquam muri atq; propugnacula tranquillitatis & otii

vivere cœperunt. Enimverò, ANTONI, Corſicam Liguriæ, Liguriam Galliæ, Galliam Sarmatiæ, ſubjectam, obnoxiam devinctam effeciſti! Te auctore, perfuncta eſt Genua hoc teterrimô & calamitoſiſſimô bellô, omnis fracta diſſenſio eſt, arma ab aliis poſita, aliis erepta ſunt. Stupete! Ligur gaudet, Sarmata vincit, Gallus triumphat.

Parum, opinor, negotii eſt urbem foſſis cinctam, mænibus validiſſimè ſeptam, ſuæ ditionis facere, arce firmiſſimis præſidiis impedita potiri, oppida ornatiſſima æquè ac munitiſſima diſturbare, evertere, diſſolvere; ſi ea civitas planiſſimo in loco explicetur, ſi illa arx humili colli non præruptæ cuiq; rupi impendeat, ſi illud oppidum vaſtiſſimis campis incumbat: Tibi verò, ô ANTONI, arces præcipiti ſaxo impoſitæ, oppida ingeniô ſitûs firma, coloniæ, ipſâ naturâ loci, facilè periculum repellentes, ad officium revocandæ, adeundæ, frangendæ erant.

Non ægrè, commiſsô præliô, conquiſiti ſuperbiſſimo delectu exercitus abſum-

ſumpti ſunt, non difficulter pudendâ cæde legionum campi contecti ſunt, facilè ingenti ſtrage attritus hoſtis eſt, cùm, æquô locô, ad capulos, ad manus, ad arma ventum eſt; tum etiam, plurimum gloriæ fortuna decerpit, triumphum ſibi caſus vendicat, quòd huic potiùs quàm illi duci victoria, fatô quopiam, inclinata ſit. Quodſi hoſtis montibus ſe ſepſerit & rupibus, quodſi ſaltibus ſe texerit & nemoribus, quòdſi ſtagna & paludes interſint, quantæ, quæſo, fortitudinis eſt, tum hoſtem adoriri, frangere, delere? Tibi verò, ô ANTONI, antequam hoſtis occurreret, fædus pelagi furor, aſperrimæ rupium crepidines, creberrimi & difficillimi ſylvarum ſaltuumq; anfractus ſuperandi erant. Corſicam enim natura cinxit mari, ripas ſaxis muniît, terras montibus ſylviſq; veſtivit & ſepſit.

Plurimum quoq; laudi decedit, ſi cum iis ad dimicationem res devenerit, queîs caſſides gemmis radiant, quêis gladii aurô fulgurant, quêis loricæ argenteæ pectus ornant non ſepiunt. Piget profectò

 eos

eos aggredi, quorum equi phaleris, baltheus bullis, veſtes ſericô, tument, nitent, pinguntur. Horrent enimverò in bella natæ animæ auratas vaginas, faſtidit acu pictum bellator ſagum, fugit miles inſolentem enſium ſplendorem; nè cum feminis potiùs luxu fluentibus, quàm viris, manus conſeri videantur. Sola dulcedo gloriæ, non opulentæ prædæ cupiditas in pugnam viros elicit. At noſter Antonius iis potiſſimùm bellum admovit, quorum verticem galea, manum ſica, latera mucro munivit. Ipſi, tenui ſago contecti, machinis bellicis metuendi,aut ingentem glandium vim effundere, aut ſicam diſtringere, aut montibus ſylvisq; ( ſiquo in diſcrimine verſentur ) ſe tegere celerrimè nôrant. Horum populorum partem SOŁŁOHUBIUS ſub ditionem Genuenſium ſubjunxit, earum gentium audaciam fregit, perculit ſuperavit.

Sublatum itaq; te Heròé, ſepultumq; in Corſica bellum eſt, Gallia victorem exercitum in patriam deportavit, at tu

auxiſti

auxisti Franciam triumphis, Poloniam gloriâ, Familiam famâ. Quâ te reducem lætitiâ Christianissimum regnum excepit? urbes ipsæ, quodammodò sedibus suis convulsæ, tibi obviam ire, tibi occurrere, te complecti videbantur. Francia & honores & purpuras, & fasces parabat, sed traxit te amor patriæ, reddidisti te tandem tuæ Sarmatiæ. Etsi autem corpus abesset tuum, honor jam & gloria in patriam pridem revertit. Fortassè quorundam dignitati labes illa adspersa fuit, quòd ut cœlum, sic mores crebris peregrinationibus mutarînt, quasi exteri solis calor, ut fuscum vultui colorem, sic nævos menti induceret. SOŁŁOHUBIUS noster ubiq; idem, ubiq; candidus, ubiq; integerrimus, quanquam clarior victoriis, auctior famâ, illustrior virtute, in Sarmatiam non tam pedibus, quàm gratulantium manibus illatus est.

Quas ego laudes in te conferam, ô ANTONI, omni virtutum genere ornatissime? Pauci seipsos frangere, suos

animos contundere, iram cohibere didicerunt, ideo persæpè invidiâ conflagrârant. Palam liquet, ad comparanda hominum studia nihil ANTONIO nostro deesse: Illius suavitates omnium favorem adjungunt, virtutes gratiam pariunt, officia reverentiam adipiscuntur. Quàm inclinatissimus tibi ad lenitatem animus? protinus injuriæ tibi è memoria excidunt, offensiones dilabuntur, iræ discedunt; imò quem ferrô trucidari oporteret, eum nec voce vulneras, adeò summam laudem sitam esse credis in iracundiæ facibus extinguendis, in injuriis ex animo evellendis, in offensionibus æterna oblivione conterendis.

Quàm mira insigniq; animi demissione flores? non magna profectò omnes incesseret admiratio, si is, cui tenues opes, nullæ facultates, exiguæ amicorum copiæ sunt, summum honorem cuiq; deferret, at SOŁŁOHUBIUS, cui res amplissimæ, cui facultates maximæ, cui conjunctissimè cum omnibus vivitur, summos perinde ac infimos magno honore

digna-

dignatur. Idcirco ô ANTONI, ipſe quoquè firmiſſimâ omnium benevolentiâ muniris, omnium ſermonibus celebraris, magnis in cælum laudibus efferris.

Neminem latet, quàm excelsô illuſtriq; locô ſit laus tuæ eloquentiæ atq; eruditionis. Nonnulli toti ſunt in aucupio verborum, rebus interea inopes & jejuni; at in verbis tuis ex rerum magnitudine ſplendor quidam & copia exiſtit. Ita ſcitè, ita venuſtè, ita concinnè ſermonem condis, ut audientem mira voluptate perfundas. Quis non pendeat ab ore tuo ? cum enarras Italiæ ornamenta, Germaniæ decora, Galliæ ſplendorem; cùm memoras, ùt huic urbi opes enatæ, fortunarum & dignitatis acceſſiones factæ ſint, ùt id emporium fædè defloruit, illius civitatis res claudicant & vacillant; cúm dicis: Quæ Gallorum coloniæ, ſint operibus munitæ, ſuccinctæ portubus, armatæ muris; Qui portus omnibus rei bellicæ præſidiis abundant, quæ oppida deſcriptione ædificiorum clariſſima. Jucundum profectò eſt voces tuas auribus

accipere, cùm navalia, maria, classem, lembos, omnemq; rei maritimæ apparatum oculis magis quàm auribus subjicis; Cùm doces, quàm perniciter secundis ventis proræ ferantur, quàm miserè coorta tempestas in apertum discrimen capita & navim immittat. Nec solùm incorrupta uteris Patrii Latiniq; sermonis integritate, sed Gallicè quoq; præclarè, magnificè & splendidè peroras.

Adèo te ANTONI, omnium laudum ornamenta illustrant, ut ipsis fumosis avorum imaginibus aliquid lucis addere videaris, quanquàm multum splendoris è priscis Aboriginibus in te defluxit. Feruntur enimverò seri nepotes atavis, & magni atavi nepotibus famam comparare.

Quis tenebricosissimum illud temporis, quô vetustissimæ familiæ oriuntur, clarè perspicere possit, multa face chronologica opus est, donec ad primam scintillam cujusq; gentis ventum sit. Ut enim celeberrimus quiq; amnis exiguo fonte oritur, tum undis mirandum in

modum

modum auctus dispescit terras, regna dirimit, imperia oberrat, & longissimo cursu ingentes fluctus evolvit. Sic nonnunquam præclaræ cujuspiam familiæ vetustissimus sangvis obscura initia trahit, tandem longa serie nepotum & amicorum & affinium quasi aquis multis auctus in tantã excrescit amplitudinem, ut non exiguum Rubiconem, sed mare quodammodo Erythræum referre videatur. Omnium profectò rerum principia parva suis progressionibus augentur. At illustrissima SOŁŁOHUBIORUM Familia, ceu sol, in ipso ortu splendida præclara & augusta fuit. Quid enim pulchrius, quid clarius, quid illustrius esse possit? è maximis Europæ principibus oriri, è purpura & bysso prætextam texi. Gens vestra ô Illustrissimi SOŁŁOHUBII, non obscurô locô, sed è principibus, sed è Romanis principibus, sed ex URSINIS orta est. Si olim Romæ nasci gloria, civem esse honor, inter Patritios censeri summa felicitas fuit, quantum vos gloriæ verticem attigistis, cùm ex augusto Ro-

manorum, non civium, non patritiorum, ſed Principum ſangvine prognati ſitis.

Gens veſtra olim in Latio floruit, tandem in Litvania refulſit, hodie regna Sarmatiæ, imò univerſam fermè Europam, gloriâ, virtute & affinitate illuſtrat. Primum *ROSA* in ſtemmate veſtro viguit, ut hæc florum regina vos in purpuris natos & ad purpuras, oſtenderet. Ineunte ſæculo nono, *URSUS* in ceris veſtris refulſit, ut ſcilicet, vos magnum noſtri ſeptemtrionis ſidus fore, palam conſtaret. Circa annum M. CCC. LXXX. III. Sacrâ quoq; *Arbore* ceræ veſtræ ornari cæperunt. Indè fauſtiſſimum omen Sarmatis fuit: cum bella arſerint, aut diſcordiæ flagrârint, vos præſidio, quaſi cuidam umbræ fore. Hâc eadem tempeſtate DOWOYNARUM, hoc eſt ad bella natorum, ad arma conclamantium, pugnas cientium, vobis nomen inditum donatumq;. Denique quartum decus *LEO* videlicet ſtemmata SOŁŁOHUBIANÆ gentis tum auxit, cùm in comitiis Horodlenſibus, totius Regni & magni Ducatûs

frequen-

frequentiſſimus Senatus ediceret, ſanciret, decerneret, ut perinde Sarmatæ ac Litvani, eodem principe viverent, iisdem legibus vincirentur, iisdem dignitatibus ornarentur. Felix profectò fauſtumq; augurium è veſtris ceris Polonia habet: *ROSA* florem ſcientiæ & virtutis, Sacra *ARBOS* fructum meritorum, *URSUS* iram in hoſtes, *LEO* triumphum pollicetur. At ſemper Gens veſtra fulmen hoſtium, lumen reipublicæ, lux familiæ fuit.

Quis DAVIDIS DOWOYNÆ laudes ignoret? Cùm penes illum ſumma rei bellicæ in Litvania eſſet, pudendis ſanê cladibus Teutones in Livonia attrivit, ingentem cæſorum vim in acie reliquit, multa millia jugum ſubire, arma ponere, inter captivos cenſeri juſſit. Adhuc Danorum pectora occultus, opinor, metus percurrit, cum eos ſubit recordatio, quantum DAVIDE Jutiam (*) pervolante, fortunarum ſuarum fecerint naufragium, quantùm res Cimbricæ afflictæ, everſæ, profligatæ fuerint, quantô belli

(*) Jutia vulgô *Iütland* dicitur ipſa peninſula Danica olim Cimbrica cherſoneſſus.

 incen-

incendiô oppida, urbes, arcesq; confla-
graverint. Iisdem ærumnis & periculis
DAVID DOWOYNA Saxoniam implicu-
it, quasi fulmen aliquod aut tempestas
regionem pervasit, populos cæde, urbes
ferrô, oppida igni protrivit, sustulit, de-
levit. Neq; Masovia ex hac flamma evo-
lavit, sensit quid gladius DOWOYNÆ,
quid arma, quid virtus possit? Is DA-
VID ut virtute bellica, sic honore patrio
omnibus Lituaniæ Satrapis præivit, cum
potentissimi Lituanorum Principis GE-
DIMINI Serenissimam filiam in sociam
thori accepisset.

Neq; minore laude posteri ejusdem
floruerant. Unus eorum in Poloniam,
omnem belli tempestatem convertit, è
pulcherrima regione solitudines & vasti-
tatem fecit, populationibus & incendiis
provincias deformavit. Vidit tum Vistu-
la fumare tecta, villas diripi, agros nu-
dari. Prætereo alios togâ & sagô claris-
simos DOWOYNAS, hunc Palatini Tro-
censis, illum Succamerarii M. D. L. di-
gnitate fulgentem. Nihil de magnis Ca-
pitane-

pitaneis Samogitiæ, Bidgoſtiæ, Drohicini, nihil de Palatinis Podlachiæ, Polociæ, cæterisq; Gentis Dowoynianæ luminibus proferre libet. Taceo præclaram ALEXANDRI DOWOYNÆ Mareſchalli M. D. L. magnanimitatem, cujus ſolius fermè virtute perfectum eſt, ut Caſimirus princeps, rerum regniq; in Lituania potiretur. Flagrantiſſimè cupiverat Polonia ſuſceptum adeundi principatûs Palæmonici conſilium diſturbare, diſjicere, perimere. At DOWOYNA curas Polonorum diſſipavit, Caſimiro interſeptum ad thronum iter patefecit, eundem, Magnum Litvaniæ Ducem juſſit, dixit, creavit. Tantùm, vis, conſilium, virtus potuit DOWOYNÆ Mareſchalli.

At quid de Illuſtriſſimo SOŁŁOHUBIORUM nomine dicent calami? Jam ſatìs conſtat unam eamdemq; Gentem DOWOYNAS & SOŁŁOHUBIOS fuiſſe, quæ demum in duas familias diviſa ſit. Nec quemquam latet nomen SOŁŁOHUBIORUM floruiſſe, antequam Polonia Litvaniæ firmiſſima unione adhæſerit

 rit

rit. Magno gens iſta amore in Patriam fuit, plurimis ornamentis rempublicam, triumphis patriam decoravit. Floret æternis laudibus in Livonia GOTARDUS SOŁŁOHUB Succamerarius Torpatenſis, neq; ulla tinea oblivionis corrodet purpuram HECTORIS SOŁŁOHUB Palatini Vendenſis. NICOLAUS SOŁŁOHUB, Mars alter, clarus militiâ, impiger manu, bellis acer, fertur in tempeſtate formidoloſiſſimi temporis à Patria perniciei partem depuliſſe, reipublicæ incolumitatem attuliſſe, regnum ab exitio vindicâſſe. Tanto Hectori ſucceſſerunt magni nepotes, gemini CONSTANTINI, uni eorum in conſortem thori venit HEDVIGIS Dux de Koźielſk PUZYNIA, alteri lectiſſimam ſponſam LIVENIAM dedit Curonia. Prætereo illud illuſtriſſimum ſidus, illam auroram ſolis Sarmatici LUCAM SOŁŁOHUB Mareſchallum S. Regiæ Majeſtatis. Taceo laudes STANISLAI. Sileo res geſtas CHRISTOPHORI Zawiſzanæ genti per connubia conjuncti.

Ipſa

Ipſa famaloquatur NICOLAUM SOŁŁOHUB arcis Smolenſcenſis Præfectum, virum bellô ſpectatiſſimum. Quâ ille audaciâ, quâ virtute, quâ vi propugnationem Smolenſci ſuſcepit? Admoverat urbi exercitum Dimitrus *Czarides* Moſcorum, vias omnes aditusq; inſedit, foſſâ & vallô ſeptum Lituanum tenuit, tum mœnia tormentis verberare, partem aggerum nudare, vallum ſubire; interea KISZKA illuſtriſſimus Smolenſcenſium Palatinus ægras atq; labantes reipublicæ & hujus urbis partes SOŁŁOHUBIO commiſit, ut eas ſuis armis ſanaret, confirmaret, erigeret. Tum NICOLAUS ferrum ferrô, vim vi, manum manu repellere. Hortatur militem, telis fulminat, armis inſtat. Hoſtis, qui urbi imminebat, pulſus, ejectus, ſubmotus. At nondum de ſpe decidit Moſcus, advolat Dux ipſe magnus Baſilius Jvanovicius impos animi, irâ percitus, furore ardens, toto belli apparatu urbem aggreditur, quaſſat, ferit. At SOŁŁOHUBII fortitudo dementiam hoſtium ſuperavit. Rejectus à vallo Moſcus

ſcus eſt, urbs curâ & metu ſoluta eſt, periculum, quod erat incluſum venis atq; viſceribus reipublicæ, depulſum, ſublatum, profligatum eſt. Quis NICOLAI SOŁŁOHUB Ductoris Copiarum S. Regiæ Majeſtatis, fortitudinem digna laude ornaverit? In vallum Ulæ arcis Lituanus miles ſumma vi, contentione, ardore penetrabat; cœpit tandem exercitus laborare. Videt NICOLAUS, unda interjacet, lacus tranſitum negat. Cur inquit, vel ſemel rem inclinandam fortunæ non dem? vel meô ipſius interitu redimenda eſt ſalus Patriæ, mox in equum inſilit, vadum tranat, cæteri ſequuntur. Sic miles auxiliô fultus, oppugnationem reſtituit, vallum occupat, hoſtem deturbat.

Sed me jam longiùs provexit dulcedo quædam de vobis, ô SOŁŁOHUBII, loquendi, tacitus itaq; prætermitto præclara facinora HIERONIMI Atavi, Aviq; Tui Illuſtriſſime Neoſponſe. Nequeo tamen à celebrandis virtutibus Parentis Tui Illuſtriſſimi JOANNIS SOŁŁOHUB Supremi Theſaurarii & Notarii M. D. L.

D. L. Equitis aquilæ albæ, animum ſermonemq; avocare, nihil enim hoc principe illuſtrius, nihil juſtius, nihil integrius. Semper ille, in caſtris fortiſſimi Herois, in templo ſanctiſſimi hominis, in purpuris benevolentiſſimi viri exemplum & ſimulacrum fuit. Quanto ille honore dicatas DEO Familias dignatur, quàm beneficè à multis miſerias ac egeſtatem propulſat, quantùm, minimam Societatem JESU, beneficiis ornat, gratiis obruit, amore amplectitur, quis id dicendo conſequi poſſit? Militiæ primùm nomen dederat, illic Tribuni dignitate auctus, perſæpè patriam ex ærumnis periculisq; extraxit, gladium à jugulo civitatum arcuit, metum ac trepidationem civibus dejecit, cùm teterrimum illud bellum in viſceribus regni verſaretur, cum inteſtinæ diſcordiæ ferverent, cùm Succus Moſcusq; in Polonia, ſe ferrô, regnum vaſtitate, civem diſſidiis confoderent, everterent, labefactarent. Quum verò diuturna ab armis quies eſſet, principem illi locum utriusq; Gentis ſummum

Tribunal detulit, Lituania & Polonia virum integerrimum ſæpè magni Mareſchalli titulis ornavit. Ea profectò tempora viderunt JOANNE SOŁŁOHUB juſtiorem virum, ſanctiorem judicem, æquiorē eſſe neminem. Illo duce & hortatore, ſuum cuiq; jus redditum eſt, nemo iniqui judicii procellâ everſus, nemo venalem linguam habuit. Nôrat enim æquiſſimus ſummi Tribunalis tum Mareſchallus juſtitiâ firmari pacem, pace vivere leges, legibus muniri urbes. Nôrat nunquam periclitari fortunas reipublicæ, quæ ſit vincta æquiſſimis judiciis, alligata more majorum, conſtricta legum ſacratarum catenis. Tam incorrupto judici, tam forti præclaroq; viro, tam amanti Patriæ, primùm ſummam Venationum curam, demum ſupremas theſauri claves Lituania commiſit. Magnis profectò decoribus, ô ANTONI, illuſtriſſimus Genitor tuus augetur, auſim dicere, ſufficit tibi habere patrem, tantum JOANNEM. Nec minor gloria illuſtriſſimam Parentem tuam exornat. Hæc

enim

enim femina florentiſſima ut omnibus virtutum laudibus abundavit, ſic è clariſſima SZAMOWSCIORUM gente orta eſt.

At SZAMOWSCIOS in pace ſplendor virtutum, in acie Heroicæ actiones, in Senatu Avorum tuorum Caſtellanorum Konarienſium, Goſtinenſium, Brzezinenſium purpuræ, clariſſimos orbi reddiderunt. Nullæ mihi occurſant voces, quibus poſſem dignè prædicare merita in Patriam, resq; geſtas tam Illuſtriſſimorum Patruorum tuorũ ANTONII Tivuni Sadovienſis, Notarii Caſtrenſis Samogitienſis, & JOANNIS Excubitoris ducatûs Samogitienſis, quàm Illuſtriſſimi Fratris JOSEPHI Caſtellani Samogitienſis, viri ad omnia ſumma nati, omnibus virtutũ, ſcientiæ & civilitatis laudibus ornatiſſimi. Qui Ducum *de Kozielſk* OGINSCIORUM Familiam SOŁŁOHUBIANO ſangvini junxit. Prætereo illuſtriſſimarum ſororum tuarum præclara encomia, tam CATHARINÆ, quæ ſe religioſis clauſtris, inter virgines Deo dicatas, Ordinis S. *Benedicti* Varſaviæ ſepſit; quàm ANNÆ Succamerariæ Go-

ſtinenſis, quæ illuſtriſſimam SCZAWINIORUM familiam, purpuris Senatoriis, in Palatinis Lenciciæ, Podlachiæ, Caſtellanis Sochaczevienſi, Lencicienſi, Brzezinenſi, famâ virtutum & gloria militari florentiſſimam SOŁŁOHUBIANÆ genti adjunxit. Vivit inciſa marmori effigies illuſtriſſimi SCZAWINSKI, qui in *Sczawin*, porticibus ſui palatii adhærens templum & tyrocinium *Reformatis* erexit. Taceo magnæ ſpei ſobolem, veram parentum effigiem, illuſtriſſimos Notaridas & Excubitoridas Samogitienſes. Quorum unus ADAM, ingeniô acerrimus, pietate flagrans, ſtudiô literarum ardens, eâ cum laude in Academia Vilnenſi verſatur, ut juventutis exemplum, parentum gloria, tutoris ſui illuſtriſſimi Theſaurarii M.D.L. ſolatium appellandus ſit. Piget me vili laudatione nonnullam labeculam adſpergere magnæ dignitati & honori illuſtriſſimorũ affinium tuorum PUZYNARUM, GROTUZORUM, STAMIROWSCIORUM, FIRLEJORUM, ZAWISZARUM KALINSCIORUM, TARNOWSCIORUM

ODA-

ODACHOWSCIORUM, SKARBKONUM, JAROSZEWSCIORUM, GIEDROYCIORUM, CHRZĄSTOWSCIORUM, WILKOWSCIORUM, WOŁMINSCIORUM, KUROPATNICIORũ, ROMERORUM, SKRZYNSCIORUM, SIERAKOWSCIORũ, KAPASZCZEWSCIORũ &c. quorũ res geſtæ laudesq; memoriâ aluntur, ſermonibus creſcunt, literarum monumentis inveteraſcunt.

Tam magnorum parentum præclara ſoboles, tam ingentium atavorum optime nepos, è Romanis principibus, è magnis Lituaniæ Ducibus oriunde, ILLUSTRISSIME ANTONI, tibi hodiernis nuptiis adjungis virginem lectiſſimam, ſponſam pulcherrimam, Principem celſiſſimam, ſatis eſt dicere RADIVILLIAM. Quid enim grandius, quid ſanctius, quid clarius principibus RADIVILLIIS? qui meritis Sarmatiam, gloriâ Europam, famâ orbem implêrunt. Ex eorum profectò ſanguine, Imperii Electores, Sarmatiæ reginæ, imò Cæſares Romanorum orti ſunt. Quis ambigat Carolum VII. Im-

peratorem auguſtiſſimum, Bavariæ ducem, hodie rerum in Germania potientem, Radivilliorum affinem eſſe.

Quis plures hoſtes vi, corporibus, opibus è patria propulſavit? quæ gens plures Senatui Patres conſcriptos, Regno & Reipublicæ Miniſtros, militiæ belloq; Duces protulit? quæ magis Familia, noſtram Societatem gratiis, templa opibus, aras ornamentis illuſtravit?

Nefas itaq; jejuno oratori ingentes tantorum Principum laudes enarrare. Pleni ſunt Radivillianarum virtutum libri, plenæ elogiorum voces, plena monumentorum vetuſtas. Quantâ, quæſo, etiamnum gloriâ Europam ornant RADIVILLII.

Quid illuſtrius celſiſſima principe RADIVILLIA Cancellaria M. D. L. cujus effigies lucet in præclaris filiis, Neſviſii Sluciæq; Ducibus. Quid majus celſiſſimo Principe MICHAELE Duce Neſviſii & Olicæ, Caſtellano Vilnenſi, Campi duce M. D. L. qui Senatum conſiliis, Rempublicam virtute, Patriam armis tuetur. Cui Superi ut celſiſſimam de WI-

SNIO.

SNIOWIECCIIS conſortem, ita præclaros filios, juventutis principes CAROLUM & JANUSSIUM dedêre. Quid clarius celſiſſimo HIERONIMO FLORIANO Duce Sluciæ, qui flagrantem ſervitiorum ſeditionē extinxit, convolantem ad arma plebem perdomuit, Ruſſiæ pacem reddidit, patriæ timorem dejecit, reipublicæ tranquillitatem donavit.

Quid felicius, fauſtiusq; FAUSTINO NICOLAO RADIVILLIO Palatinô Novogrodenſi evenire poteſt reipublicæ? cui integerrimi mores gloriam, ſummæ virtutes reverentiam, leniſſimus benevolentiſſimusq; animus amorem comparavit. Tantundem gloriæ ſibi vendicat celſiſſima BARBARA de ZAWISZIS RADIWILLIA Palatina Novogrodenſis. Hi parentes præclaram profectò ſobolem procreârunt: UDALRICUM Capitaneum Minſcenſem, ALBERTUM Capitaneū Rzeczycenſem, GEORGIUM Capitaneum Luboſſanenſem, magnum Sereniſſimi Tribunalis M. D. L. Mareſchallum, & STANISLAUM S. R.

Majeſtatis Colonellum, omnes ætate viridi florentes, incomparabili virtute illuſtres, ingenti gloriâ ornatos. Filiarum verò aliquæ nuntium ſæculo remiſerunt, una illuſtriſſimum *de Campo* SCIPIONEM Capitaneum Lidenſem, Mareſchallum M. D. L. thori ſocium habuit, altera, lectiſſima, pulcherrima, & celſiſſima princeps BRIGIDA, tecum illuſtriſſime ANTONI, in æterna fædera jungit dexteram, tuoq; illuſtriſſimo Nomini ſociat cognatum ſanguinem AUGUSTISSIMUM Cæſareæ Domûs Bavaricæ, *Sereniſſimum* Regiæ Familiæ WISNIOWIECCIORUM, SOBIESCIORUM, LESCZYNSCIORUM, *Celſiſſimum* OGINSCIORUM, CZARTORYSCIORUM, LUBOMIRSCIORUM, PUZYNARUM, *Illuſtriſſimum Excellentiſſimumq;* Comitum SAPIEHARUM, ŁANIEWSCIORUM, CHODKIEWICIORUM, SIESICCIORUM, SCIPIONUM, JABŁONOWSCIORUM, WOŁŁOWICIORUM, BRZOSTOWSCIORUM, POŁUBINSCIO-

SCIO-

SCIORUM, MNISZKORUM, POTOCCIORUM, PACIORUM, DONHOFFORUM, TYSZKIEWICIORUM, FLEMINGORUM, SŁUSZKARUM, BRANICCIORUM, POCIEJORUM, SIENIAVIORUM, ZIENOVICIORUM, ZAWISZARUM, PREBENDOVIORUM, WOYNARUM, ZAMOYSCIORUM, WOŁODKOWICIORUM, TĘCZYNIORUM, KONIECPOLSCIORUM, KONARZEWSCIORUM. &c.

Magnopere itaq; lætamur è tantorum ſiderum feliciſſima conjunctione, & ut, unde eſt orſa, in eodem terminetur oratio, certa divinatione conjicimus, atq; auguramur. Naſcentur magni filii, Europæ lumina, deliciæ regni, decora patriæ. Illis prætextam parentes, honores rex, purpuram reſpublica parabit. Illi fulmina belli, terror hoſtium, lux familiæ dicentur. Illi omnem vim à fama, à cervicibus, à fortunis civium propulſabunt, & finem imperii Sarmatici, non terræ ſed cœli regionibus terminabunt. Tali tantaq; prole ILLUSTRIS-

SIME ANTONI augearis, omnibus laudum, dignitatum, & fortunarum acceſſionibus orneris, ſemper florens, ſemper incolumis, ſemper beatus ſerveris, nos precamur, patria optat.

SUPERI FAXINT.

12 Листовъ
бумагъ